

*dicelles.* Icones passim quadrifariam sectae totidem repraesentationes exhibent. Ridiculum, pluries comparere *Eliam* Prophetam Carmelitani habitu, neque satis biblicum *fol. 3.* praeter panem etiam pernam illi a corvo adferri. Picturae ceterum eadem ratio, quae in Libellis precatoriis *Parisiis* exeunte Sec. XV. ab *Ant. Verard. Phil. Pigouchet, Sim. Vostre &c.* in membrana excusis, unde et praesentem *Parisiis* scriptum censeo. Possedit illum an. 1585. e *Rogendorfiis* nostratibus quidam, cui pro Symbolo, uti solebant: *Forte Fortune Force* q. d. Fortem Fortunae Arbitrum esse.

## DCCCCXXI.

- C. 949. Codex membranaceus lat. ital. Sec. XV. Folior. 256. 12. liquoire peculiari fulgido argentum, aut verius chalybem politum referente eleganter exaratus, Literis non tantum initiorum, sed marginibus etiam passim auro florulentis, Icunculis VIII. artificiose depictis ornatus, adlatusque e *Parthenone Halensi Tyroleos* diversa primum pietatis exercitia hoc ordine continet: Formulam Confessionis, Missam de *B. V. Maria*, Officium de eadem, Psalms *graduales* orationibus ad eandem interstinctos adhaerentibus *Litaniis* ad earum modum, quas *Lauretanas* vocant, Psalterium *Hieronymo* perperam adscriptum, Psalms *Poenitentiales* cum *Litaniis SS.* et de *Cruce*, et aliis de *B. V.*

*Psalms* selectos in scriptos *ad devotionem crucifixi*; dein vero *fol. 157.* succedit *Συλλογη* variarum Sententiarum de diversis Virtutibus et Vitiis in *Capita XLV.* digesta, auroque ita inscripta: *Questo libro se componudo dela scriptura deli sancti doctori dela scriptura diuina et deli pbylosophi naturali. Et sie fata per la salude de lanima et del corpo.* Sequitur Index *Capp.* eadem veteri lingua *Italica*, quae in multis monet *Hispanicae*, tum ipsum C. I. hoc initio: *De Humilitate. Ubi est humilitas ibi est sapientia. En quela parte se sapientia oxe (ove?) humilitate. Quanto major es humilitate in omnibus. Quanto tu e maçor en tute cose piu te humilia &c.* Atque ita cuiusvis *Dicto* sua subjicitur versio, sed index ille praevius infidus est; ultra illum enim excurrunt XXIX. alii Articuli morales, quorum ultimus *De fornicatione* ita terminatur: *Non meio se po uengere le femene come fugirle. Fol. 231.* Resumuntur *Orationes* variae, atque inter eas *Hymnus Stabat mater &c.* usque ad finem. *Libellum* ad usus cuiusdam e *Domo Burgundica* scriptum fuisse arguitur e *Scuto* gentilitio *fol. 23.* vivendo; cum vero *fol. 154. p. 2.* in *Scuto* cuiusdam *Genii Lili* *um Provinciae* compareat, fortasse *Catharina Ducis Johannis* filia respicitur, quae a. 1410. *Comiti Guisio Ludovici Andegavensis* et *Com. Provinciae* filio desponsa, sed remissa *Gandavi* deinceps obiit.

## DCCCC.